DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
ANGINA VERA
ET IMPRIMIS
EIUS CURATIONE.

§. I.

ANGINA generaliter vocatur morbus, in quo *vel* deglutitio per fauces & pharyngem *vel* reſpiratio ab impedimento in larynge ſummaque aſperæ arteriæ parte hærente, *vel* deglutitio & reſpiratio in his partibus ſimul, plus minus læduntur.

§. II.

Plures vero eæque valde diverſæ ſunt internæ oris, faucium, pharyngis & laryngis partes, quarum læſio deglutitionem aut reſpirationem impedire poteſt. Diverſæ quoque hujus dyſphagiæ & dyſpnœæ cauſæ dan-

tur; hinc ab artis medicæ ſcriptoribus plures etiam anginæ ſpecies enumeratæ ſunt, prouti nempe vel magis ad mali ſedem vel ad morbi naturam & cauſam reſpexerunt.

§. III.

Primo itaque, cum morbus noſter mox partes deglutitioni dicatas, mox reſpirationis organa magis afficiat, anginam dividunt in *anginam pharyngis* & *laryngis*. Illa veteribus *ſynanche*, hæc *cynanche* vocabatur. Rarius vero deglutitio ſola in angina pharyngis læditur, ob tumorem nempe partium deglutitioni inſervientium, larynx proximus ſimul plus minus comprimitur adeoque & reſpiratio difficilior redditur.

Angina pectoris eſt affectio, quæ ob aliquam ſymptomatum cum angina laryngis ſimilitudinem ita vocatur, in pectore vero ſedem habet, adeoque proprie ad anginas non pertinet.

§. IV.

Deinde cauſarum & naturæ morbi cognitio variis iterum anginæ diviſionibus locum dedit. In his nempe inflammatio aut catarrhus, aut nervorum affectio &c. accuſanda eſt, in aliis ad materiam ad fauces delatam, aut ad effectus congeſtionis reſpicitur; hinc

paſſim

paſſim in ſcriptis medicis de angina *inflammatoria*, *catarrhali*, *pituitoſa*, *tumida* & *non tumida*, *ſuppuratoria*, *gangrænoſa*, *paralytica*, *convulſiva ſ. ſtrangulatoria*, *arthritica*, *venerea*, *membranacea ſ. polypoſa* & plur. ſermo eſt. Mitto vero has denominationes, quarum ſenſus jam per ſe patet, & propius ad ſcopum accedo.

§. V.

Memoranda nempe præcipue eſt diviſio anginæ in *veram* & *ſpuriam*. Poſterior denotare ſolet anginam non inflammatoriam, catarrhalem, a pituita ad ſæpe dictas partes congeſta, ortam. De priori tractandi, breviterque, quæ ad morbi diagnoſin & prognoſin ſpectant, narrandi, prolixius vero, quæ ad curationem pertinent, memorandi animus eſt.

§. VI.

Angina vera dicitur febrilis, acuta & inflammatoria affectio partium deglutitioni & reſpirationi inſervientium, illarum, quæ in oris interioribus & ſummo collo ſitæ ſunt, unde vel deglutitio vel reſpiratio vel ambæ ſimul læduntur. Vocatur etiam *inflammatoria & exquiſita*.

§. VII.

Partes, quæ in morbo noſtro affici ſolent, ſunt: pha-

rynx, velum palatinum pendulum, uvula, tonsillæ, linguæ radix, epiglottis, larynx supremaque pars asperæ arteriæ.

Inter hæc sæpissime velum palatinum cum tonsillis, aut pharynx, rarius radix linguæ, rarissime laryngis interior membrana læduntur; quandoque omnes hæ partes simul inflammantur, quod vocabulo συνάγχη ansam dedisse videtur. Interdum hæ partes in uno tantum latere ægrotant, in quo casu morbus levior est.

Angina vera hinc etiam mox *angina pharyngis* mox *laryngis* dici meretur.

§. VIII.

Quoad *diagnosin morbi* notandum est, *anginam veram pharyngis*, i. e. quæ deglutitionem lædit, manifestare sequentia:

Febris, quæ rigore incipit, fere semper magna, quæ vero valde diversa esse potest, cum symptomatice quandoque angina febribus variis accedat, adeoque mox inflammatoriam, mox gastricam, mox putridam &c. comitem habeat; pulsus celer, durus.

Deglutitio dolorosa difficilis, sæpe plane impossibilis, ita ut ægri quævis assumta per nares refundant; linguæ etiam motus impeditus est, quare deglutientes caput antrorsum flectere solent, ut vi assumtum detrudant.

Faucium

Fauciùm dolor continuo increſcens, acutus, primum tantum ſub deglutitione infeſtans, ſucceſſu continuus, per tubam Euſtachii quandoque in aurem protenſus, unde tinnitus aurium & baryecoia.

Rubor in velo palatino, uvula, tonſillis, aut pharynge præternaturalis, & ardor in his partibus quandoque valde magni. Rarius albedo apparet ob albam, qua obducuntur, materiam, minus cautus medicus in eo caſu inflammationem latentem non cognoſcit, & pro catarrhali habet morbum.

Tumor dictarum partium, qui ad externas etiam, muſculos & glandulas quandoque extenditur, ita interdum acutus, ut maxillas dimovere nequeant ægri.

Lingua ſicca, arida, utplurimum ab initio præternaturaliter rubra, aut punctis flavis tecta, quandoque nigra, tumida, ita interdum, ut craſſitie ſua os repleat, imo ante illud propendeat.

Sputatio frequens, continua, ſalivæ viſcidæ; ſpuma quandoque ante os.

Vox utplurimum mutata, rauca, clangoſa, quandoque vix ulla.

Reſpiratio raro plane libera, neque ullo modo turbata; utplurimum plus minus impedita, per nares ſæpe impoſſibilis, quare ore hiante reſpirare coguntur;

ſæpe

ſæpe cubare nequeunt, & ſi decumbunt, ſuffocantur. Si valde læſa eſt, anguſtia præcordiorum accedit. In imis faucibus ſtertor.

Faciei rubor & oculorum, quandoque & externi colli. Dolor capitis, interdum & cervicis.

Ceterum corporis debilitas, inappetentia, ſitis, nocturna vigilia, urina rubra pluraque alia, quæ febrim graviorem comitari ſolent, accedere ſolent.

§. IX.

Si *angina laryngem* maxime occupat, præter febrilia conſueta ſymptomata, ſequentia præcipue malum produnt:

Reſpiratio frequens, parva, valde laborioſa, ita ut periculum ſuffocationis immineat. Inſpiratio dolens; hinc pulſus vacillans, ægrorum inquietudo, anxietas. Vox ſtridula, ſibilans, acutiſſima.

Si tuſſis accedit, dolor & anxietas maxime augentur, oculi inflammantur, ſuffocatio inſtat.

Dolor ſub deglutitione quoque ingens, inflammatus larynx enim tunc movetur.

Facies utplurimum obſcure rubet, oculi inflammati prominent. Cephalalgia, vertigo, delirium, ſopor, & ante mortem, (morbus enim ſæpe funeſtus eſt) ſigna peri-

peripneumoniæ accedunt, facies fit livida, pulſus parvus, debilis, intermittens, extremitates frigent.

§. X.

Quod ad CAUSAS morbi noſtri attinet, notandum eſt, frequentiſſimam occaſionem dare ſequentia:

Refrigerium, ſubita frigoris & caloris viciſſitudo, quare eos facile invadit, qui calidum obſervare ſoliti regimen, ſe ſubito aëri frigido vel per anguſtas rimas, feneſtras vel alia ſpiracula illapſo exponunt. Equitatio adverſus ventum imprimis frigidum; quicunque corporis vehemens motus diu continuatus, ſub quo ventus in fauces irruit; hauſtus aquæ frigidæ calente corpore. Aër etiam valde calidus, frigidum excipiens.

Evacuationes naturales ſubito ſuppreſſæ, uti menſtrua, hæmorrhoides, imprimis a refrigerio extremitatum inferiorum. Huc pertinent etiam a mercurialium uſu producta ſalivatio, errore diætæ aut regiminis, imprimis frigidæ aquæ hauſtu ſubito ſuppreſſa.

Metaſtaſis in febribus variis; præcipue exanthematicis, variolis, podagra. Morbillos, ſcarlatinam, variolas, miliaria ſymptomatice jungere ſolet.

Conſtitutio epidemica, ſæpe enim ſimul plures in eodem loco invadit.

Medicamentum acre, aut venenum aſſumtum, va-

pores

pores acres, lædentes hausti; conclavia calce recenter inducta. Morsus rabidorum animalium?

Rariores causæ sunt: partium, quæ lædi solent, vehemens exercitatio, cantus, vociferatio, tubarum & fistularum inflatio.

Dispositi multi sunt ad anginam, ita, ut, qui semel morbum experti sunt, facile in eundem rursus incidant; imo sunt, qui eodem anno ter, quater afficiuntur. Juvenes, plethorici & cholerici, ab errore diætæ, spirituosorum & salsorum ciborum abusu præcipue ægrotant. Rufi etiam, si SYDENHAMO fides habenda est, & mares frequentius laborant.

§. XI.

In PROGNOSI generaliter attendendum est *ad locum affectum*. Quo plures partes inflammatæ sunt, eo majus periculum.

Angina laryngis maxime periculosa & magis quam pharyngis inflammatio; a tumore enim æger facile suffocatur, hinc quo propinquius, etiam in angina pharyngis, malum est glottidi, eo magis periculosum. Minus periculum, si velum pendulum aut tonsillæ tantum inflammantur.

Deinde etiam periculum differt *pro diversitate febris, vehementiæ inflammationis & complicationis.*

Si

ILLUSTRISSIMIS, GENEROSISSIMIS,

SPLENDIDISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS

S. R. I. COMITIBUS

ET

LIBERIS BARONIBUS

GENTIS ET MUNERUM GLORIA

EMINENTISSIMIS

D O M I N I S

P R Æ S I D I

D I R E C T O R I

CETERISQUE

E X ORDINE EQUESTRI

PRINCIPATUS RECKLINGHUSANI

S T A T I B U S

PATRIBUS PATRIÆ

SALUTIS PUBLICÆ TUTORIBUS

DOMI-

DOMINIS, MAECENATIBUS

ATQUE

FAUTORIBUS SUIS

GRATIOSISSIMIS

HASCE PAGELLAS

IN GRATI ANIMI, OBSEQUII

ATQUE DEVOTIONIS TESSERAM

SUBMISSE DEDICARE

AUDET

FRANCISCUS JOSEPHUS SERVAES.

Si inflammatio non valde vehemens, ſi humores blandi ſunt, ſi medicus ſtatim ab initio ægrum accedit, curatio facilis eſt, & benigna ſperanda reſolutio.

Quo magis inflammatoria eſt febris, eo facilius juvari poteſt; complicatio quæcunque gravior eſt.

Conditionis etiam *ægri*, qualis ante morbum fuerit, & *epidemicæ conſtitutionis* habenda eſt ratio.

Bonum eſt: ſi in urina ſedimentum craſſum apparet; ſi ſputum copioſum, craſſum, flavum, coctum exſcreatur; ſi ſanguis ex naribus vel inteſtini recti aut uteri vaſis fluit; ſi ſudores levantes accedunt; ſi alvus liquida fit; ita enim critice morbus ſolvitur.

Quandoque fit metaſtaſis ad externa, hinc ſi collum & pectus rubore perfunduntur aut extremitates corporis dolent cum deglutitione faciliori, bonum eſt, materia enim ad exteriora transfertur.

Si morbus die tertio aut quarto non decreſcit, ſymptomata non minuuntur, ſuppuratio fit, tunc ſenſim rubor in quibuſdam partibus diſparet, tumor in aliqua parte augetur, aliquando cum ſuffocationis periculo.

Malum eſt: ſi faucium inflammatio ad laryngem tranſit, aut ſi dolore faucium ſubito evaneſcente, dyſpnœa augetur, & peripneumoniæ ſigna apparent. Si ab impedito ſanguinis a capite reditu oculi prominent,

caput rubet & tumet, delirium, ſtertor accedunt.

Peſſimum eſt, ſi lingua nigra, vel ante os propendet, nil deglutitur, vox intercepta, collum rigidum eſt, facies livida, anxietas & inquietudo ſumma adſunt.

Funeſtiſſima eſt *angina non tumida*, i. e. ubi nec in faucibus, nec in collo tumor apparet, & ſigna tamen inflammationis adſunt, reſpiratio vero dolens, erecta, anxia eſt, vox clangoſa, acuta.

§. XII.

Quod CURATIONEM ANGINAE attinet, *generaliter* quidem, uti in omni febrili morbo, etiam hic ad indolem febris cum angina conjunctæ reſpiciendum eſt.

Angina vera ſolet quidem ſæpius febrim inflammatoriam comitem habere, ſed accedere etiam poteſt aliis febribus & morbis, uti morbillis, variolis, ſcarlatinæ, febri apthoſæ &c. aut ſtatus adeſſe poteſt complicatus.

Quæ ergo remedia requirit comitans febris per ſe, minime negligenda ſunt, ad reſolutionem enim inflammationis internas oris & faucium partes occupantis, & curam anginæ maxime faciunt.

In inflammatoria itaque febre venæſectiones largas, temperantia, humectantia &c., in gaſtrica febri primarum

rum viarum evacuantia, emetica aut purgantia & ſic in aliis febribus alia febris indoli oppoſita adhibenda eſſe per ſe patet.

§. XIII.

Præter hæc vero generalia *ſpecialis curatio*, de qua præcipue nobis hic ſermo eſt, requirit ſequentia:

Primum locum obtinent *ſanguinis miſſiones*, potentiſſimum certe in morbo noſtro remedium, quod initio morbi adhibitum citiſſime quandoque eundem pellit. Venæſectio utplurimum audax, pro ratione ætatis, virium, conſtitutionis, conſuetudinis plus minus larga in homine plethorico, robuſto, ante morbum ſano, in febri inflammatoria, & imprimis malo forte recrudeſcente repetenda maximam ſæpiſſime curæ partem abſolvit.

Hinc, ſi pulſus durus & magnus, lingua pura, ſicca, dolor in faucibus vehemens & conſtans obſervantur; ſi artus magis quam naturaliter calent, ſi morbus adhuc in incremento vel vigore eſt, ſtatim ſanguinis unciæ duodecim, imo in plethorico ſexdecim & ultra ex brachii vel pedis vena detrahantur, & ſi poſt duodecim horas morbus nondum imminutus eſt, nullaque refutantia indicia adſunt, venæſectio repetatur, imo in homine plethorico, vigente adhuc morbo, de-

nuo instituatur, quamdiu vires id permittunt, vehementiaque inflammationis id postulare videtur.

Interdum, rarius tamen, sine sanguinis missione morbus superatur, si febris levis est, cutis mollis, pulsus non durus neque fortis, & primarum viarum impuritates adsunt.

§. XIV.

Morbo post consuetas venæsectiones quidem imminuto, attamen perdurante, *jugularis externæ* incisionem quidam commendant. Hanc vero sanguinis missiones ex loco remotiori in brachio vel pede, saltem in adultis, antecedere debent. Neque nimis hac operatione festinandum esse credimus, cum vena jugularis, quæ externæ nomen meretur, rarius inveniatur, lingualis etiam vena, & quæ ex faucibus sanguinem reducit, utplurimum in venam jugularem propriam s. internam terminetur, adeoque vena, quæ forte sub cute apparet, sanguinem ab externis tantum quibusdam capitis partibus reducat.

Ob difficilem etiam vulnusculi compressionem sanguinis missionem in eo loco non nisi in magno periculo & ubi tamen certior felicis successus spes est, instituendam judicamus, quia consueta circa collum fasciæ applicatione sanguinis refluxus a læsis partibus & capite nimis impeditur.

Interim

Interim si operatio fieri debet, simplex emplastri glutinantis super vulnus applicatio instrumento *Chaberti* (Mem. de l'Acad. de Chir. T. II.) præferenda videtur.

§. XV.

Alii *raninæ venæ incisionem* instituendam esse prædicant; sed huic rarior locus est. In angina enim graviori, quæ remedium tale exposcere videtur, lingua maxime intumescere solet, & ex ore vel moveri vel prominens a maxilla removeri nequit, adeoque sæpissime accessum ad raninas denegat.

Metuendum etiam est, quod Ill. VAN SWIETEN observavit, ne raninis venis apertis sanguis celerius per arterias comites fluat, unde tumoris augmentum fieri possit, quare, si instituere hanc operationem velimus, probe observandum est, ut non nisi post justam plethoræ per alias vias imminutionem fieri debeat; vena etiam, monente Cl. BRAMBILLA (Chir. pract. Abhandlung. von der Phlegmone p. 111.) secundum longitudinem incidenda est, quia alias vix compescenda hæmorrhagia oriri solet.

§. XVI.

His anteponendæ sunt *hirudines & scarificationes.*

Hirudines a B. SCHMUCKERO tantum laudatæ decem,

imo

imo viginti circa totum collum, imprimis ad latera; proxime maxillæ angulum, ſub auricula, & in angina laryngis, ubi maximæ utilitatis ſunt, anterius; imo ſub ipſa lingua, ſi acceſſus patet, & in ipſo oris cavo applicentur.

Scarificationes vel *cucurbitæ cruentæ*, quas Cl. HUXHAM (opp. phyſ. ord. T. I. p. 212.) & PRINGLE (obſ. on the diſ. aſ. of the army p. 142.) commendant, indefectu hirudinum non minoris utilitatis ſunt; juſtis tamen venæſectionibus prægreſſis, ne uberior ſanguinis ad inflammatas partes congeſtio fiat. Inciſiones nempe profundæ & copioſæ circa collum & cervicem, imprimis ad latera fiant.

§. XVII.

In caſu neceſſitatis, quando velum palatinum, tonſillæ proximæque partes ita intumeſcunt, ut medicamentis externis via præcludatur, nec quidquam deglutiri poſſit, neque gargariſmatibus locus ſit, metusque ſuffocationis adeſt, ipſa harum partium tumidarum inciſio quandoque maxime levat; lingua, qualis interdum viſa eſt, immaniter tumida, ore propendens, profundis vulnuſculis ſcarificatur cum egregio ſubitaneæ detumeſcentiæ effectu. Ita etiam palatum, velum pendulum, tonſillæ &c. pharyngotomo incidi

poſſunt,

possunt, ubi tunc defluente sanguine denso, nigro, cujus effluxus per aquam aut lac calidum ore assumtum promoveri potest, æger maxime levatur.

In casibus desperatis, quando collum externe tumet, a quibusdam incisio tumoris profunda laudatur, ad depletionem inflammatarum partium efficiendam; hanc vero potius abscessui externe formato vel puri saltem jam latenti reservandam esse judicamus; quamdiu vero suppuratio nondum facta est, potius cucurbitarum cruentarum aut hirudinum applicatio ad congestum sanguinem eliciendum convenire videtur.

§. XVIII.

Si morbus ex menstruis aut hæmorrhoidibus subito suppressis ortum duxit, fluxus restitutio justis remediis, imprimis insessu super aquam calidam & pediluviis tepidis tentanda est.

§. XIX.

Interna remedia statim ab initio maximi usus esse possunt, adeoque negligi non debent. In angina autem vera hæc ex temperantium & resolventium classe communiter depromi solent. Cum vero sæpius impuritates primarum viarum diathesi inflammatoriæ jungantur, rariorque sit morbus simpliciter inflammatorius,

hinc

hinc ſtatim ab initio eo reſpiciendum eſt, anne ex canali alimentari ſordes expellendæ appareant?

Ita ſæpe, quando ſapor adverſus, amarus, lingua ſordida, ructus, conatus vomendi ceteraque ſordium turgeſcentiæ ſigna urgent, emeticum datum ſubito morbum ſolvit, aut ſordibus expulſis angina tamen ceteris remediis mox dicendis facile cedit. Immerito enim quidam medici emetici uſum etiam, ubi ſordium ſigna adſunt, diſſuadent, ſi enim cito adhibetur, maxime juvare poteſt, ſerior vero uſus cautus eſſe debet.

Emetici uſum vero ſemper antecedat juſta ſanguinis miſſio, & plethoræ imminutio, alvus ſit libera aut clyſtere antea moveatur, ſordesque, ſi mobiles non ſunt, prius ſalino medicamento ſolvantur, quouſque id quidem morbi incrementum permittit; non enim nimis diu ſolutioni inſiſtendum, ne morbus interim protractus nimium augeatur.

Cavendum quoque eſt, ne pituitam, quæ fauces quandoque obducit, & ſtimulo ſuo nauſeam interdum & vomendi conatum creat, pro naturæ niſu habeamus, ſordesque in primis viis eliminandas ſtatuamus. Ita enim in morbo ſimpliciter inflammatorio maxime peccari poteſt.

Si nullæ vero impuritates evacuandæ appareant,

juvat

juvat tamen ceteris medicamentis ſalis cathartici drachmam unam alteramve addere, quo alvus ſolvatur, emolliatur, atque ita obſtructio, hic ob congeſtiones metuendas valde noxia avertatur.

Temperantia & reſolventia hic adhibenda ſunt eadem, quæ in omni inflammatione vera adhiberi ſolent, ſalia nempe media, imprimis nitrum, ſal ammoniacum, acida vegetabilia, ſerum lactis; potus ex decoctis farinoſis acidulis relaxantibus, vel ubi acidula, uti quandoque fieri ſolet, ægrum lædunt, emulſiones ex ſeminibus frigidis cum nitro, & ſimilia; tepida cuncta ſumenda ſunt, ne a frigido potu ſubita conſtrictio & inflammatio major aut gangræna oriatur.

In caſu graviori, quando medicamentum ob tumorem in faucibus deglutiri nequit, & ab ejus uſu multum tamen ſperare licet, id per nares injici volunt.

§. XX.

Gargariſmata quoque in angina, præcipue pharyngis magni uſus eſſe poſſunt, cum partes læſas immediate tangant; fiunt hæc ex infuſo vel decocto herbarum reſolventium & emollientium, uti ſalv. flor. ſambuc. malv. verbaſci, rad. alth. dauci, raparum, hordei, avenæ, fol. theæ, &c. cujus colaturæ unciis octo addantur nitri dr. I--II. & oxym. ſimpl. unc. I ß. &

quia

quia partes læſæ, imprimis tonſillæ relaxatæ ab initio aliquem ſtimulum requirunt, eſſ. pimpin. alb. dr. I. vel ejus loco eſſ. ſcord. vincetox. aut in pauperibus ſpiritus frumenti. Etiam mel. deſpum. roob moror.. ſamb. & ſimile addi poteſt, ſed minoris utilitatis ſunt; ſyrupus vero rub. id. pap. rh. &c. ad gratiam & ad nitrum obvolvendum admiſceri ſolent.

In uſu vero gargariſmatum probe attendendum eſt, an ſit morbus mere inflammatorius & in vigore, unde partium ſenſibilitas augetur, vel an morbus in initio ſit & ſtatus paululum pituitoſus.

In caſu poſteriori tonica, imo adſtringentia & leniter ſtimulantia a multis medicis laudata multum juvare poſſunt. Huc pertinent aqua frigida vel infuſum frigidum fol. theæ boe cum aceto, vel decoctum fol. quercus vel ſolutio aluminis, vel aqua vulneraria THEDENII cum aquæ anatica portione vel nitri ſolutio in aqua, vel aqua calcis cum ſyrupo domeſtico aut lacte, vel ſolutio ſacchari ſaturni in infuſo fol. roſar. rubr. cum aqua Reginæ Hungariæ vel vitrioli acidum dilutum cum ſyrupo roſar. a SYDENHAMO & CULLENIO laudatum.

In caſu priori vero, ubi magis relaxandum & ſopiendum eſt, blanda medicamenta magis conducunt,

uti

uti decoct. ſalv. cum melle, decoct. hordei cum mell. roſar. aut ſyr. mororum, aut decoctum ficuum cum aqua & lacte, addito pauxillo ſpiritus ſalis ammoniaci, quod a B. Pringlio tantopere laudatur ad ſalivam attenuandum & glandulas ad liberiorem ſecretionem diſponendas. In hoc enim caſu, qui in angina ſymptomatica, morbillis, ſcarlatinæ, variolis accedente obtinere ſolet, acida, quæ vix unquam ob vim conſtringentem & irritantem in vera angina tolerari poſſunt, & ſalina & ſpirituoſa ob ſtimulum, quem partibus irritatis inducunt, inflammationem augendo nocent. Ita etiam eſſ. pimpinell. alb. vulgatiſſimum in angina remedium utplurimum tantum in initio morbi perfertur, quando pharynx nondum nimis inflammatione exaruit, poſtea vero caute adhibenda eſt, cum inflammationem augere ſoleat, quare a dictis remediis irritantibus æger ſponte abhorrere ſolet.

Omnis gargarizatio levis eſſe debet, ne partes inflammatæ ruditer agitentur.

§. XXI.

Si æger gargarizare nequit, ob nimis tumidas partes, vel ob dolorem, qui ab agitatione partium augetur, tunc ut partium inflammatarum exſiccatio & ariditas impediatur, ore capiat medicamentum æger &

capite reclinato aliquamdiu retineat, ita læſæ partes ſaltem arroduntur; vel & medicamentum injiciatur ope ſiphonis, cujus fiſtulam æger ore captam hinc illinc moveat, ut pluresinterni oris partes fluido alludantur; injectum æger, capite reclinato, per momentum temporis ore retineat, ut eo diutius partes inflammatæ foveantur; vel ægro ſupino cubante, lingua manubrio cochlearis lato aut ſpatula deprimatur, & hujus ductu ſyringa partibus proprius admoveatur, & ſenſim & leni vi injiciatur; cautum vero in injiciendo oportet eſſe chirurgum, ne ejuſmodi ſtimulo inflammationem augeat.

Si vero nequidem ſic ſyringæ introducendæ pateat aditus per dentes ſumma vi ſibi appreſſos, per dentis evulſi relictum ſpatium fiſtula intromittatur, vel ſi nequidem huic locus ſit, per nares medicamentum parva copia injici poteſt, quo ſaltem pars tumoris inflammati arrodatur.

Si partes valde ſenſibiles ſunt, & æger injectionem ægre fert, ab ea abſtinendum eſt, ne ſtimulo malum increſcat, tunc magis convenit decoctis emollientiibus os colluere, & affectas partes continuo fovere.

Linguæ etiam & ceterarum partium doloroſa valde & moleſta ſiccitas in infantibus & qui gargariſare nequeunt, levatur ope penicilli ex linteo carpto vel carpti circa

bacillum

bacillum ligati, quod decocto ſalviæ cum vino, vel ubi acida ob linguæ fiſſuras aut irritabilitatem partium non tolerantur, mucilaginoſo decocto, cremore lactis, gelatina cornu cervi humectatur.

Loco gargariſmatis vel ſimul cum eo poſſunt etiam vapores infuſ. vel decoct. herb. reſolvent. leniter aromaticarum, flor. ſamb. &c. cum modica quantitate aceti, vel ubi acida nimis ſtimulant, cum lacte naribus & ore attrahi.

§. XXII.

Externa etiam varia medicamenta adhiberi poſſunt, ex quorum uſu levamen quandoque magnum ſperare licet.

In ſtatu leviori ſufficit ſæpe collum linteo vel panno craſſo tegere, ut frigus arceatur, collumque foveatur, aut cucuphæ ex herb. reſolvent. & leniter aromaticis flor. ſamb. chamom. herb. ſerpill. cum pauculo camphoræ utiliter collo imponuntur.

In ſtatu graviori emplaſtris aut unguentis opus eſt. Emplaſtra ſint reſolventia, emollientia, uti emplaſtr. de melilot. hyoſciami & ſimil. quibus utiliter camphoræ & ſal. volatilis cornu cervi aliquot grana admiſcentur.

Unguenta non minoris uſus ſunt, cum lenis frictio,

qua

quæ applicantur, resolutionem adjuvet; optima sunt ung. alth. oleum lini, hyosciami cum camphoræ octava parte vel spiritu salis ammoniaci. Merito hinc b. PRINGLE & NEIFELD (Rat. med. morb. circ. sang. §. 738. pannum laneum oleo cum spiritu cornu cervi imbutum omni quadrante horæ renovatum & applicatum inter specifica habuerunt.

Omnibus his vero anteponenda sunt emplastra & unguenta mercurialia, unguentum nempe neapolitanum bis de die ad avellanæ nucis magnitudinem tepidum lateribus colli frictione leni admotum, applicato dein emplastro mercuriali. Summi hoc remedium usus esse, in angina, quæ his temporibus scarlatinæ & morbillis symptomatice juncta epidemice grassata est, experientia comprobavit.

§. XXIII.

Possunt etiam, in angina simpliciter inflammatoria & ubi metastasis ad externas partes promovenda esse videtur, fomenta & cataplasmata ex rad. alth. herb. malv. parietar. mercurialis, flor. verbasci, sem. lini & similia cum lacte parata utiliter adhiberi.

§. XXIV.

Quandoque irritantibus lenibus ad resolutionem & revulsionem opus esse videtur; in eo casu sinapismi

ad

ad cervicem aut circa totum collum applicantur; vel, ſi ſtatus inflammatorius & ſanguis copia ſufficiente miſſus eſt, remediaque dicta non ſatis juvant ad inflammationem abigendam, veſicatoria conveniunt; quæ quidem initio brachiis, vel inter ſcapulas, aut cervici, de u retro aures, imo in ſtatu graviori circa totum collum applicari poſſunt; plethora tamen antea imminuta, alvus libera & primæ viæ puræ eſſe debent, ſi deſideratum a veſicatoriis effectum fieri volumus.

§. XXV.

Ceterum alvus ſemper in toto morbi decurſu libera ſervanda eſt, vel ſumto quotidie leni cathartico vel clyſtmate admoto, quod ſimul, ſi leniter irritans eſt, revulſionem aliquomodo promovere poteſt.

§. XXVI.

Si malum maxime urget, & ob partium inflammatarum tumorem non ſolum deglutitio ſed & reſpiratio impeditur, ſuffocatioque proxima eſt, ad unicum, quod nunc, antedictis fruſtra adhibitis, reſtat auxilium, laryngotomiam nempe confugiendum eſt, quæ quidem hodie merito ſecundum methodum fit Vicq d'azyrianam, vulnuſculo nempe per cutim & ligamentum crico-thyreoideum larynx aperitur, aërique ad pulmones ſub juſtis cautelis tranſitus patefit.

§. XXVII.

§. XXVII.

Si vero inflammatio disparere incipit, resolutioque proxima videtur, tunc, si dolores fere disparuerunt, gargarisma ex aqua Goulardi, vel aliis adstringentibus adhibetur, quo non solum restitutio plenaria promoveatur, sed & dispositio simul ad novum accessum præcaveatur, quia alias ob relaxationem in membrana pituitaria oris remanentem malum facile recidivat.

TIFFEN Gray Scale
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
© The Tiffen Company, 2007

Inches
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black